Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8199
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

PONTIFICUM ET ARCHIPRAESULUM LAUREACENSIS ET PATAVIENSIS ECCLESIARUM CATAlogus ab incerto Authore aeditus.

I.

Veterum perlustrando historias et Imperatorum Regumque privilegia Sanctorumque vitas diligentius revoluendo, clare liquet Noricorum provinciam Apostolorum tempore, Christi fidem suscepisse et Idolorum culturae abrenunciasse. Siquidem fuerat patria nostra Idolis variis delusa sicut cernitur in statuis ipsorum quae hodie Viennae in foribus sancti Stephani terrae inclusae cancello servantur a turri Gundramsdorff ut fertur ablatis. Sanctus vero Petrus qui secundo Claudii Augusti anno Romam venit, quarto sui adventus anno ab incarnatione dominica 47 Laureacensem urbem per suos praedicatores visitavit a quibus fides orthodoxa in his oris initium sumpsit. Et quia Laureacum metropolis erat prothoflaminum ethnicorum ad fidem conversa destructis Idolis fieri meruit etiam metropolis Catholicorum in qua Clerus ut moris tunc erat in sancta paupertate supra durantes annos